

Quæstio IX.

An dentur aquæ Cœlo superiores?

§. 1. Qui cum Watsonio pag. 523. 524. aquas illas negant, vel etiam rident, quæso risum tantisper saltem temperent, dum verba Mosis *Genes. 1. v. 6. & seqq.* mecum propius paulò considerent. Ego per aquas illas cœlestes similis aut eadem substantia intelligatur cum ea, quæ sub cœlo, in certa loca collecta est, ut arida orbis terreni conspici possint nec ne, in medio relinquo. Hoc tantum quero, si aliqua saltem attributa sive substantialia sive accidentalia, cum nostris aquis communia habeat, quid absurdi sit si eodem gaudeant nomine? Si autem vel maximè nihil quoad naturam commune habeant, idem tamen dico nomen sortiri posse, quòd ex aquis primi diei æque ac inferiores factæ sint. Quicquid autem sit de earum essentia, id quod *v. 6. & seqq.* aqua vocatur, de nubibus ut illi volunt, intelligi non posse, ex textu ita probo: Quicquid separatur ab aquis inferioribus, per cœlum, & nominatim eam cœli partem, in qua movetur Sol & stellæ, id de nubibus intelligi non potest, quippe quæ sole & stellis infinitis parasangis sint inferiores. Sed aquæ quas Deus apud Mosen dicit, esse super *RACKIA separantur ab aquis inferioribus per cœlum, Genes. 1. v. 66.* & nominatim eam cœli partem, *in qua movetur Sol & stellæ, v. 17.* Ergò aquæ, quæ esse dicuntur supra *RACKIA*, de nubibus intelligi non possunt. Dicat fortasse quispiam, etiam eam partem mundi, quæ sit inter nubes & globum ex terra & aqua compositum per *RACKIA* connotari. Connotari concedo, sed *καὶ ἐξ ὀχθῆν*, cœlum ut dicatur, ab universa loquendi consuetudine & illo vulgato, à potioris fieri denominationem, abhorrere dico. Possum⁹ ne enim à parte, tanquam potiori denominatum dicere, quod infiniti pene ad hanc partem rationem habet? possumus ne ab invicem separata dicere, quorum una pars infra, pars scilicet nubibus inferior, iterum alia supra nubes est.

§. 2. Summa, non potest intelligi, quare Spiritus S. interstitium inter aquas superiores & aquas inferiores non tantum ponat, sed etiam tantoperè urgeat, [videantur verba textus] si illud intervallum inter duas illas aquas tam exiguam haberet proportionem ad totam cœli altitudinem. Ut rectè intelligas Watsoni, quid velim; 14000. semidiametros terræ, quibus juxta Tychonem cœlum fixarum, quod forte finis est expansi, quo discriminari dicit Moses, aquas superiores ab in-

ab in-